

corruptura videtur, utendum sit, Quam maximas potest Carolus ad perduellium conatus reprimendos copias comparat; quadraginta equitum vexilla, sexaginta peditum, sex mille Helvetii, plerique e nobilitate in armis sunt; singulis provinciis praefectos viros fortitudine, ac prudentia insignes, strenuosque milites, ut externis auxiliis aditus impediatur, attribuit: omnes fere arces, atque urbes illi obtemperant; viri ecclesiastici, catholici, populus, ac fere tota Gallica nobilitas parent. Contra Condeum pauci rerum novandarum cupidi sequuntur; nulla illi ad copias comparandas facultas; Ruppellam tantum in Santonibus, in Aquitania Albanum montem, & Castrum possidet. Carolus catholicos Principes fere omnes amicos, ac foederatos habet; Pium Pontificem Maximum, Maximilianum Caesarem, Philippum Hispaniarum Regem, vestram Rempublicam. Atque illud, quod reliquis praestat, Dei Optimi Maximi, cujus causa in primis agitur, auxilium sibi praesto futurum pollicetur. Verum ad tot alendos exercitus immensa prope pecuniarum vi est opus. Ad eam representandam assiduis bellis attrita, atque afflictæ Galliae, vectigalium, ac proventuum vires non sufficiunt. Ad foederatos itaque, atque ad eos, qui sibi mutua benevolentia conjuncti sunt, gravissima, ac justissima in causa, in qua totius christianae reipublicae status vertitur, confugit; Venetam Rempublicam praecipue orat, obtestatur, ne sibi, atque amplissimo regno deesse velit. Non magna Carolus petit, sed quæ nullo incommodo praestari facile possint; centum nempe aureorum millia; hoc praesertim tempore, quo, belli suspicionibus penitus depulsis, alta pace fruimini; quo, undique ad vota rebus fluentibus, ingentes pecunias congestas retinetis. Reges connubiis atque affinitatibus benevolentiam ac necessitudines comparant; Respublicas beneficiis Regum amicitias promereri oportet. Ac, ne fortasse id objiciatur, quod ea, quam superioribus annis pecuniam Regi commodastis, minime ex condito reddita fuerit, vobis Lutetianum vini vectigal addicit, publicanos, eorumque bona obstringit, vel tot gemmas, quæ ducentorum millium aureorum summam conficiant, praebiturum se spondet. Quid igitur vos moratur, ne Regi de republica christiana optime merito, vobisque innumeris amicitiae vinculis conjuncto, difficillimo hoc